



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XIII. Vtrùm præter excitantem gratiam sit necessaria gratia adiuuans ab
illa distincta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

est visa sensibili stella statim fuisse interius illuminatos. Et cum multis aliis Deum illa liberalitate vi certissimum est: non pro illorum meritis, aut cooperatione, sed iuxta consilium voluntatis, & gratiae suae; ordinariè verò relinquit Deus homines operari per ordinaria media gratiae, quae in Ecclesia sua pro omnibus instituit, & iuxta hanc mensuram, & modum vocationis, & adiutorij quæri potest, quanta sit necessitas illarum actionum liberi arbitrij, quas explicuimus.

In quo breuiter distinguere possumus duos ordines talium actuum, quidam sunt ex natura rei aliquo modo ordinati ad complendam capacitatem hominis respectu supernaturalis excitationis, vt sunt v. g. audire verbum prædicationis, vel illo audito, & non satis intellecto, de illo primò amplius interrogare, vel cogitare, & consequenter velle ad hoc applicare intellectum, & auertere cogitationes impediētes, & similia. Idemque cum proportionem intelligendum est de vocatione ad penitentiam, vel ad perfectionem, aut ad quemlibet alium progressum virtutis. Nam omnes hae vocationes ordinariè sunt per verbum Dei externum, aut voce prolaturum, aut scripta, aut per alia exteriora signa, vel exempla, quae mentem excitant, non statim supernaturali excitatione, sed memoriam, & affectum naturali modo mouendo, & ideo non oportet vt homo contemnat illam inchoationem gratiae, sed illi pro viribus cooperetur, vt altiori gratiae Dei impedimentum non ponat. Ad hunc ergo modum possumus istum actum esse moraliter necessarij, & suo modo pertinent ad communem gratiae cursum, vt explicatum est. Alij verò esse possunt actus, non ita per se ordinati ad vteriores, sed qui ex libertate hominis exerceri possunt, & sunt valde affines prioribus actibus, vt sunt desiderium salutis, licet imperfectum per modum velleitatis, petitio eiusdem salutis, vel mediocrium ad illam obtinendam. Et hi quidem actus, si sunt in homine iam fidei, & ex huius aliquo modo procedant, possunt esse dispositiones morales remotæ, seu imperatoriae. Et sine dubio sunt valde viles etiam si contingat non esse in substantia supernaturalis, quia per influxum fidei aliquo modo eleuantur, & ita non fiunt sine auxilio aliquo gratiae. At verò si tales actus præcedant fidem, & exterminant vocationem supernaturalem ad illam, tunc non solum necessarij non sunt, sed etiam per se nihil conferunt ad obtinendam gratiam internam Dei, quia sunt improporionati, & nullo modo fundantur in fide; non sunt tamen contemnendi, quia & remouent impedimenta, & aliquo modo afficiunt hominem ad id quod bonum est, & ita relinquunt animum de se magis apertum, saltem phisicè, vt supra explicauimus, vt facilius, & cum minor repugnantia possit ad perfectum fidei affectum supernaturaliter excitari, quod quidem nihil obest rationi gratiae, cum hoc ipsi ex aliqua gratia procedat, vt declaratum est.

Vltimò ex dictis colligere possumus tres, vel quatuor modos, quibus potest mens nostra excitari ad bene operandum, vel ad cauendum malum, qui omnes à Deo sunt, non tamen pariter, sed secundum eandem rationem. Prima excitatione est merè naturalis, id est, per communem cursum naturalis prouidentiae diuinæ, & causarum secundarum, quam esse posse & congruam, & incongruam, & neutro modo pertinere ad beneficium gratiae, sed naturæ, maiora, vel minora in libro primo ostensum est. Secundus ordo excitationis est, quæ dantur à Deo ex peculiari prouidentia, & liberalitate in maiori perfectione, vel abundantia, quam per communem cursum causarum secundarum fieri possint, in se tamen naturales sunt, & circa obiecta solum naturalia versantur. Et huiusmodi excitationes reuera sunt gratia, non tamen attingunt intrinsecè (vt dicam) ordinem supernaturalem, & dari possunt solum ad iuuandam naturam in ordine ad honestatem, & finem naturalem, licet de facto semper à Deo ad supernaturalem finem ordinentur. In tertio ordine sunt excitationes quæ immediatè pertinent ad ordinem gratiae, & prouidentiae supernaturalis; & hæc in duplici differentia esse possunt. Nam quædam sunt motus in sua substantia naturales, quia medijs sensibus in mente naturali virtute excitantur, nihilominus immediatè, & quali intrinsecè pertinent ad ordinem gratiae ratione materiæ in qua versantur, & quia ex peculiari & supernaturali prouidentia tribuuntur, & præparantur causæ à quibus proueniunt. Aliæ sunt in substantia sua supernaturales, & à Spiritu sancto immediatè mentibus infunduntur tanquam auxilia proxima, & proportionata actibus humanis per se infusis, & in se supernaturalibus. quæ omnia membra ex doctrina huius, & præcedentis capituli declarata manent: visum est autem sub compendio illa sic proponere, quia & ad omnia superius dicta de necessitate gratiae, & ad distinguendum Semipelagianorum errorem à Catholica doctrina magnam lucem afferre possunt, & quia in libro sequenti ad explicandam sufficientiam gratiae illorum cognitio erit nobis necessaria.

CAPVT XIII.

Vtrum præter excitantem gratiam sit necessaria gratia adiuuans ab illa distincta.

Hactenus de excitante gratia dictum est nunc ad complendam diuisionem gratiae in excitantem, & adiuuantem oportet ipsam adiuuantem explicare. Et in primis supponimus ad bene operandum sicut oportet ad salutem necessariam esse gratiam adiuuantem. Primò, quia ex Scriptura sacra id apertè colligitur, nam in illa sapè Deus vocatur adiutor noster Psal. 62. In matutinis meditabor in te, quia fusti adiutor meus. Vnde etiam Augustin. Nisi Deus adiuuet opera nostra, impleri à nobis non possunt. & digna debemus operari. quasi dicat vt opera nostra digna sint, necessarium esse ex Scriptura Dei adiutorium. Vnde etiam est illud Psal. 53. Ecce enim Deus adiuuat me. vbi August. Omnes Sancti adiuuantur à Deo, sed intus, vbi nemo videt. Item Psal. 18. Domine adiutor meus, & Redemptor meus. Vbi autem Augustinus, adiutor in bonis, & Redemptor in malis, Adiutor vt habitem in charitate sua, redemptor ab iniquitatibus meis. Et pleraque sunt Scripturæ loca, in quibus vel Deus vocatur adiutor noster, vel nos ab illo petimus vt nos adiuuet, vel constemur sine ipsius adiutorio non posse saluari: adiuuat nos autem Deus per gratiam adiuuantem. Secundò nihil frequentius est in ore omnium fidelium, nihilque sapè reperit Ecclesia in suis publicis orationibus, quam illud, Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me festina. quod ex Psal. 69. sumptum est. Item

dum enim cursum prouidentiae naturalis. Secundò per excitationem datam ex peculiari prouidentia. & liberalitate in ordine ad finem naturalem. Tertiò per motus excitantem naturales in ordine ad finem naturalem. Quarta per motus in substantia sua supernaturales.

Limitatur superior doctrina.

Quatuor modi mens excitari.

1. Affectio prima. Necessaria est gratia adiuuans ad operandum sicut oportet ad salutem necessariam esse gratiam adiuuantem. Primò, quia ex Scriptura sacra id apertè colligitur, nam in illa sapè Deus vocatur adiutor noster Psal. 62. In matutinis meditabor in te, quia fusti adiutor meus. Vnde etiam Augustin. Nisi Deus adiuuet opera nostra, impleri à nobis non possunt. & digna debemus operari. quasi dicat vt opera nostra digna sint, necessarium esse ex Scriptura Dei adiutorium. Vnde etiam est illud Psal. 53. Ecce enim Deus adiuuat me. vbi August. Omnes Sancti adiuuantur à Deo, sed intus, vbi nemo videt. Item Psal. 18. Domine adiutor meus, & Redemptor meus. Vbi autem Augustinus, adiutor in bonis, & Redemptor in malis, Adiutor vt habitem in charitate sua, redemptor ab iniquitatibus meis. Et pleraque sunt Scripturæ loca, in quibus vel Deus vocatur adiutor noster, vel nos ab illo petimus vt nos adiuuet, vel constemur sine ipsius adiutorio non posse saluari: adiuuat nos autem Deus per gratiam adiuuantem. Secundò nihil frequentius est in ore omnium fidelium, nihilque sapè reperit Ecclesia in suis publicis orationibus, quam illud, Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum me festina. quod ex Psal. 69. sumptum est. Item

Psal. 123. 8.
Concil. Mileuit.
August.
Repetit illud, adiutorium nostrum in nomine Domini qui fecit calum & terram, ex *Psal. 123.* Item Concilium Mileuitanum, & Arausicanum definiunt gratiam esse necessariam in adiutorium nostrum. Distinctius verò Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. & can. 3. necessitatem gratiæ excitantis, & adiuuantis definiuit. Tertiò hæc est doctrina Augustini, qui pro hac gratia adiuuante maximè contra Pelagium pugnavit, præsertim lib. de Grat. Christi cap. 23. & sequentibus, & lib. 2. contra duas epistol. Pelagiani. cap. 9. & epistol. 105. 106. & 107. & alijs locis, quæ in sequentibus allegauimus. Rationem autem seu necessitatem huius gratiæ, nisi prius, quid illa sit, & ad quid detur, intelligatur, explicare non possumus.

2. Prius, verò oportet vocis ambiguitatem tollere: idèque inquiri potest, an gratia adiuuans sit aliquid diuersum ab excitante. Ratio dubitandi est, quia gratia excitans nos adiuuat; ergo est gratia adiuuans, ergo illa gratiæ nullo modo distinctæ ab excitante. Antecedens patet, quia excitans gratia est quasi doctrina interna, vel admonitio diuina, vel inclinatio, aut propensio ad aliquid. Magister autem docens adiuuat discipulum, ergo multo magis Deus interius docet, & adiuuat hominem. Vnde & Prædicatores Euangelij adiutores Dei dicuntur 1. Corinth. 3. quia Deum in docendis, & instruendis hominibus iuuant. Item qui alium monent, iuuat illum, iuxta illud *Psal. 2.* *Adiuuantes exhortamur, &c.* Denique propensio, & inclinatio sine dubio multum iuuat in quocunque opere; ergo gratia excitans omnibus his modis nos adiuuat: est ergo gratia adiuuans. Atque hoc confirmat modus loquendi Conciliorum, nam Mileuitan. cum cap. 3. definit gratiam Dei qua iustificamur, non solum ad remissionem peccatorum dari, sed etiã in adiutorium, vt non committantur, nomine adiutorij excitantem gratiam præsertim intelligit. Vnde cap. 4. declarat, hanc gratiam non tantum nos adiuuare, reuelando, quæ faciendæ sunt, sed præstando, vt quod faciendum nouerimus, etiam facere diligamus, atque valeamus. Ergo illa gratia quæ dā nobis posse facere, quæ facit nos facere, ipsa est; quæ nos adiuuat. Illa autem est vocatio diuina, quæ est gratia excitans; ergo hæc eadem est gratia adiuuans. Item Concilium Tridentinum sessione 6. cap. 5. de excitante & adiuuante gratia, tanquam de vna sic loquitur. *Vocantur vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur.* Vnde ponderandum est illud verbum, eidem gratiæ, refert enim gratiam excitantem, & adiuuantem, de qua sermo præcesserat, refert illam tanquam vnā, nam si essent plures, dicendum fuisset eisdem gratiis.

3. Præterea D. Augustinus lib. de Gratia Christi, cap. 4. post multa contra Pelagium disputata ad vitandas tergiversationes eius, ita concludit. *Si consenserit, ita ipsam voluntatem & actionem diuinitus adiuuari, & sic adiuuari, vt sine illo adiutorio, nihil liberè velimus, & agamus, eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, nihil de adiutorio Dei, quantum arbitror, inter nos controversia relinqueretur.* In quibus verbis considero Augustinum à Pelagio confessionem vnus gratiæ excitantis postulare, cum tamen Pelagius non minus errauerit, negando gratiam excitantem, quam adiuuantem, vt patet ex eodem Augustino in eodem lib. cap. 10. & sequentibus. Item lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 17. cum Augustinus in principio dixisset posse hominem in hac vita esse sine peccato, gratia adiuuante diuina, postea explicando hanc

gratiam dixit. *Vt autem innotescat quod latebat, & suauè fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est quæ hominum adiuuat voluntates.* Illa autem gratia quæ innotescit, quæ latebat, & suauè fit, quod non delectabat, nō est nisi illuminatio, & inspiratio diuina, seu sancta cogitatio, & pia affectio, vt ipse in discursu explicat. Vtraque est gratia excitans; ergo hæc eadem est apud Augustinum gratia adiuuans. Et simili modo in cap. 19. illam gratiam vocat certam scientiam, vel victicem delectationem, quam (inquit) interdum non dari sanctis, vt cognoscant non à seipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebrarum, & suauitatem, quæ dei fructum suum terra eorum, quæ duo Deus in nobis sine nobis operatur; ideo ad gratiam excitantem pertinent, & nihilominus subiungit: *Cum autem ab illo illius adiutorium deprecamur, quam vt aperiat quod latebat, vt suauè fiat, quod non delectabat.* Denique libro de Gratia, & libero arbitrio, cap. 15. tractans verba Ezechiel. 11. *Dabo vobis cor carneum, & illa cap. 18. Facite nobis cor nouum, inter-* rogat. *Quare dat, si homo facturus est, nisi quia dat, quod iubet, cum adiuuat vt faciat, cui iubet?* Et tamen alijs locis similes Dei locutiones, *Dabo vobis, faciam, vt faciat, &c.* explicat de vocatione; seu, quod idem est, de gratiæ excitante, per quam Deus illa facit in nobis; ergo illa eadem gratia est, quæ Deus nos adiuuat vt faciamus.

Nihilominus negari non potest quin gratia adiuuans propriè sumpta sit speciale auxilium gratiæ, ab excitante aliquo modo distinctum. Itaque sicut Dialectici dicunt, nomen genericum, seu commune interdum vni speciei appropriari, ita quoque in præfenti de nomine adiutorij, vel adiuuantis diuini gratiæ dicere necesse est, tum ad intelligenda verbalia loca Augustini, tum ad singula gratiæ auxilia in specie declaranda. Nam quæ adduximus, ostendunt nomen adiutorij diuini, vel quod perinde est, adiuuantis gratiæ interdum generaliter sumi pro quocunque gratiæ auxilio. Est cerum ipsum nomen auxilij, hanc eandem significationem postulare. Quid enim adiuuare, nisi auxilium præstare, auxilium autem, nomen generale est, ad omnia gratiæ auxilia; ergo & verbum adiuuandi potest in eadem generalitate sumi, ergo & verbum adiutorij, seu gratiæ adiuuantis. Imò & Deus ipse dici potest adiutor noster etiam ratione auxilij excitantis, quod nobis infundit, & in testimonijs allegatis, & in multis alijs Scripturæ locis, præsertim *Psal. 109.* oratur Deus, vt nos adiuuet illuminando, cor inclinando, & alia similia, quæ ad excitantem gratiam pertinent faciendū. Non obstante verò hac significatione dicimus nomen gratiæ adiuuantis peculiariter tributum esse cuidam speciali beneficio, & auxilio gratiæ ab excitante aliquo modo distincto, & in hoc sensu diuidi gratiam in excitantem, & adiuuantem.

Hoc probamus. Primò ex doctrina Augustini, à quo ferè omnes istæ voces sumptæ sunt. Ille enim gratiam adiuuantem planè distinguit ab excitante in Enchirid. cap. 13. cum inquit, *Totum Deo datur, qui hominis voluntatem bonam, & preparat adiuuandam, & adiuuat preparatam.* Nam sine dubio aliud est præparare, aliud adiuuare voluntatem, & primum tribuit Augustinus gratiæ excitanti, & ideo dicit scriptum esse, *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, quia preparatur voluntas à Domino, utique solo, & sine homine, quod spectat ad excitantem gratiam, quam Deus facit in nobis sine nobis, vt supra dictum est.* Ergo adiuuare preparatam voluntatem, est nouum Dei beneficium, & distinctum auxilium, quod gratia

gratia adiuuans vocatur. Vnde idem August. quæst. 2. ad Simplician. sic inquit. Non ideo dictum esse putandum: Non est volentis, neque currentis, sed miseris Dei, quia sine eius adiutorio non possumus adipisci quod volumus, sed ideo potius, quam sine eius vocatione non volumus. lib. 2. de peccator. merit. cap. 18. Quod ad Deum nos conuertimus, nisi ipsa excitante, atque adiuuante, non possumus. In quo modo loquendi aperte indicat adiuuantem gratiam aliquid addere su-

peritiam prae citantem. Præterea hoc constat ex diuersis tribuunt muneribus, quæ Augustinus tribuit gratiæ excitanti, & adiuuanti, nam primæ tribuit tangere cor, sanctam cogitationem immittere, & similia, quæ Deus in nobis, sine nobis operatur, vt in superioribus satis explicatum, & allegatum est. At verò gratiæ adiuuanti tribuit simul cum homine operari, sicut, dicit lib. 2. contra duas epistol. Pelagian. cap. 9. Quamuis nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possumus aperire, tamen os aperimus illius adiumento, & opere iustitia. Vnde in 2. lib. de peccatorum merito & remissione cap. 5. dicit, Neque adiuuari potest, nisi qui aliquid sponte conatur. Et rationem reddit, quia Deus non ita mouet hominem, sicut mouet lapidem, vel brutum, in quibus voluntatem, & rationem non condidit, significans gratiam adiuuantem non dari nisi in ipsa, & cum ipsa operatione, quod euidentius expressit in id Psal. Adiuua nos Deus salutaris noster, dicens, cum adiuuare nos vult, neque ingratus est gratia, aut tollit liberum arbitrium, qui enim adiuuatur, etiam per se ipsum aliquid agit. Et tract. 4. in 1. Epist. Ioan. Quando inquit iuuaris, similibi agis. & serm. 13. de verbis Apostol. cap. 11. Agis inquit & ageris, & tu bono agis, si bono ageris; Spiritus enim Dei qui te agit, agens adiutor est, ipsum nomen adiutoris prescribit tibi, qui tu ipse aliquid agis. Agnosce quid possas, agnosce quid confiteris, quando dicis, Adiutor meus esto, adiutorem vtique inuocas Deum nemo adiuuatur si ab illo nihil agatur, &c.

Ex his ergo omnibus colligitur adiuuantem gratiam non dari, nisi ei, qui liberè agit, credendo, vel penitentiam agendo, vel alio modo pie operando: gratia autem excitans datur ante liberam operationem, vt in superioribus satis ostensum est, ergo aliquam gratiā addit adiuuans supra excitantem ab illa distinctam. Deinde hoc facit indicat Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. Primum quatenus distinctè requirit excitantem atque adiuuantem gratiam, non enim toties illa duo repeteret cap. 5. & can. 3. si illa duo essent synonyma, & non aliquo modo distincta. Secundo, quia dicit hominem disponi assentiendo, & cooperando illi gratiæ, quæ duo verba cum portione accommodata accipienda sunt: nam assentiri correspondet gratiæ excitanti, cooperari verò adiuuanti. Vnde paulo inferius dicit Concilium, tangente Deo cor hominis, ipsum hominem non omnino nihil agere inspirationem illam recipiens vtique per liberum consensum, sicut illam abicere sit per dissentium. Quomodo etiam dixit Augustinus vocare esse solius gratiæ: assentire autem vel dissentire propriè voluntatis esse. Et tangente Deo cor hominis, ipsam libertatem, assentire autem non potest, sine adiutorio Dei. Et ideo vt assentiatur gratiæ excitanti, necesse est vt cooperetur adiuuanti: sunt ergo illæ duæ gratiæ distinctæ. Et præterea Concilium quoties de actibus, quibus homo disponitur ad iustitiam, loquitur, vtamque gratiam coniungit, vt patet in cap. 5. & in principio 6. disponuntur tamen ad ipsam iustitiam, dum excitati, & ad iustitiam gratia, &c. & can. 3. Si quis dixerit sine præuocante Spiritus sancti inspiratione, & eius adiutorio

Ratione sumpta ex prædicta doctrina Augustini potest hoc declarari, quia gratia excitans datur homini antequam liberè operetur, vel consentiat, ergo necesse est gratiam adiuuantem aliquid addere excitanti, in quo ab illa distinguatur. Maior in superioribus satis declarata, & probata est, & conuincitur ex Concil. Tridentino can. 4. dicente hominem iam excitatum posse dissentire. Minor autem patet ex dictis sententiis Augustini, & ex verbis Concilij quæ ponderauimus. nam semper coniungit adiuuantem gratiam consensui, & è contrario negat consensum esse posse sine adiuuante gratia. Ex proprietate autem ipsius verbi adiuuandi, optimè potest declarari: nam adiuuare est aliquid cum aliquo agere, & ideo nemo actu adiuuat, nisi & ipse, & is, qui adiuuatur, aliquid agant; ergo in operibus gratiæ non datur homini adiuuans gratia, nisi quando libero, & humano modo aliquid operatur, nam ad huiusmodi operationem hæc gratia datur: at verò gratia excitans non datur per operationem liberè necessariam, vt supra visum est, & ideo operationem liberam præcedere potest. Declaratur tamen à simili, nam gratia creans non datur nisi quando Deus actu creat; ergo neque gratia adiuuans, nisi quando Deus actu adiuuat. Vnde eo etiam modo quo intra ordinem gratiæ creatricis potest dari gratia adiuuans, illa non datur nisi quando Deus actu concurret cum creatura, quia tunc illam ad agendum adiuuat; ergo idem est cum proportionem in gratia pertinente ad ordinem gratiæ sanctificantis, quatenus in illo gratia adiuuans inuenitur, ex quo etiam fit, vt sicut Deus ab æterno non est Creator, vel conseruator, Deus nō est in tempore, ita neque sit adiutor nisi in tempore, & non semper, sed quando actu adiuuat. Denotatur autem adiutor ab adiuuante gratia non in tempore, ab excitante, propriè loquendo. Ex his ergo satis constat, has gratias esse distinctas aliquo modo: hæc autem distinctio, & plures etiam differentie inter ipsas in duobus capitibus sequentibus commodius explicabuntur, simul declarando, quid hæc adiuuans gratia sit.

CAPVT. XIV.

An gratia adiuuans sit actio, vel principium actionis, & que sit eius necessitas.

Cum ostensum sit dari nobis adiuuantem gratiam, præter excitantem, vt Concilia tradunt, hanc etiam gratiam esse nobis necessariam ad sanctè operandum, sicut oportet ad salutem, explicare necesse est, quid & quod duplex sit hæc gratia: ad hoc autem declarandum causam, & radicem huius necessitatis aperire necessarium est, nam inde constabit ad quem finem ipsa ordinetur, & ex fine ratio, & varietas eius faciliè intelligetur. Necessitas igitur huius gratiæ ex duplici capite oriri potest. Primò ex dependentia essentiali, quam voluntas creata, vt est quædam causa secunda, habet in 1. Radix, de operando à Deo, vt est prima, & vniuersalis causa dependentia in omni ordine, tam naturæ, quam gratiæ. Quod essentialis enim omnis creatura non solum pendeat à Deo in fieri, & conseruari, sed etiam in operari tanquam in nostra fide ceruim supponimus, ex prima parte, & ex Metaphysicis disputationibus: consistit autem hæc dependentia operationis in hoc, quod nihil potest creatura facere sine actuali ope, & influxu Dei. Hæc igitur dependentia etiam in operibus gratiæ

Ratio assertio-
nis 1. de-
promptia
ex August.

1. Necessitas
gratiæ adiu-
uantis ex du-
plici radice
cauitur.

1. Radix, de
essentialis
creaturæ vo-
luntatis à
causa 1. in-
ordine natu-
ræ & gratiæ.